

inter seria. Desinant ergo inconvenientia jungere, et virtuti voluptatem implicare, per quod vitium pessimis quibusque adulantur. Ille effusus in voluptates, reptabundus semper atque ebrius, quia scit se cum voluptate vivere, credit et cum virtute; audit enim voluptatem a virtute separari non posse: deinde vitiis suis sapientiam inscribit, et abscondenda profitetur. Ita non ab Epicuro impulsus luxuriantur, sed vitiis dediti luxuriam suam in philosophiae sinu abscondunt, et eo concurrunt, ubi audiunt laudari voluptatem. Nec aestimatur voluptas illa Epicuri (ita enim mehercules sentio), quum sobria et sicca sit; sed ad nomen ipsum advolant, quaerentes libidinibus suis patrocinium aliquod ac velamentum. Itaque quod unum habebant in malis bonum, perdunt, peccandi verecundiam. Laudant enim ea quibus erubescabant, et vitio gloriantur: ideoque ne resurgere quidem adolescentiae licet, quum honestus turpi desidiaie titulus accessit.

XIII. Hoc est, cur ista voluptatis laudatio perniciosa sit: quia honesta praecepta intra latent, quod corrumpit, apparet. In ea quidem ipse sententia sum (invitis hoc nostris popularibus dicam), sancta Epicurum et recta praecipere, et, si propius accesseris, tristia: voluptas enim illa ad parvum et exile revocatur; et quam nos virtuti legem dicimus, eam ille dicit voluptati. Jubet illam parere naturae: parum est autem luxuriae, quod naturae satis est. Quid ergo est? Ille quisquis desidiosum otium, et gulae ac libidinis vices felicitatem vocat, bonum malae rei quaerit auctorem: et dum illo venit, blando nomine inductus, sequitur voluptatem, non quam audit, sed quam attulit: et vitia sua quum coepit putare similia praeceptis, indulget illis, non timide, nec obscure; luxuriatur etiam inoperto capite. Itaque non dico, quod plerique nostrorum, sectam Epicuri flagitiorum magistram esse: sed illud dico, male audit, infamis est; et immerito. Hoc scire quis potest, nisi interius admissus? Frons ipsa dat locum fabulae, et ad malam spem invitat. Hoc